

Natura A

Nullum quippe vicium ita contra naturam, ut nature debeat extrema vestigia.

Augustinus in quadam epistola.

Natura B

Vince naturam diligencia, exclude corporis somnum. Naturam nobis formare non possumus, possumus diligenciam.

Ambrosius in libro de Ioseph.

Natura C

Natura creatrix est quedam vis et potencia divinitus rebus insita, alia ex aliis in suo genere producens.

Hugo.

Natura D

Natura an fuerit noverca homini proiecto corpore fragili anxio ad molestias, molli ad labores prono ad libidines.

Tullius in libro de naturalibus questionibus.

Natura E

Nulla naturalia corporis aut animi vicia ponuntur quicquid infixum et ingenitum est leniter arte non vincitur.

Seneca 20. epistola.

Natura F

Tenenda est via quam natura prescripsit, nec ab illa declinandum, illam sequentibus omnia facilia et expedita sunt, contra illam viventibus non alia vita est quam contra aquam navigantibus.

Seneca in quadam epistola.